appellationes omnes in Causis, quae summam 400.
florenorum excesserint, ad Judicium S. R. M.
devolvantur, habebunt quae terminum in
Judicio S. R. M. proximos quosque menses
martium, et Octobrem cuiusque anni; In
Criminalibus honoremque tangentibus libe-
rum cuique sit ad S. R. M. appellare, excep-
tis Causis Criminum recentium, invasionum
Spolij, defflorationis, et raptus feminarum,
depraedationum homicidiorum dolo, atque
ex insidijs factorum. In Causis mere Civilibus
Appellans impossessionatus, priusquam
appellatio illi concedatur, Appellato in casu
succubitionis de damnis, et expensis resar-
ciendis, cavebit, eaque praestabit si appellatio-
nem temere interpositam fuisse decreto S. R.
M. iudicatum fuerit. Si quis Consiliarios et
Judices Liberarum Civitatum temere ad Judi-
cium S. R. M. evocaverit, damna et ex-
pensas eam in rem a Judicibus factas,
refundat.

In executione decretorum facienda si ij, quorum
id muneris erit, negligentes fuerint poena
30. ungaricalium mulctentur, partique
gravatae damna omnia refundant.

Mandata adversus executionem impetrata
impedimento non erunt, quominus executio